



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

25. S. Marcus Evangelista

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Festum S. Marci, Evangelicæ
Prædicationis gratiâ Evangelistæ
præstantissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! veneremur sacra Ecclesiæ Evan-
gelia! continent ultimam Jesu Chri-
sti voluntatem, quâ nos in suos nuncu-
pavit hæredes, & dignos Patre cœlesti
filios. Quâ conditione? Non aliâ, quàm
illâ: *Tu verò vigila, & in omnibus la-
bora, opus fac Evangelistæ, ministerium
tuum imple, & tantis veritatibus coope-
rare. Horum unica, ô fili! solidè in-
tellecta, & strenuè exercitata nos efficiet
sanctos. Est enim vox Domini.*

Instructio meritoria.

Audientes legi SS. Evangelium, ani-
mum ad vivam fidem, spem & charita-
tem excitemus ardentissimam, cum de-
siderio, etiam ipsum ponendi sanguinem
ac vitam pro veritate evangelica. Hæc
ut magno fervore & zelo prædicetur
ubique, versus quatuor mundi partes
oremus genuflectendô 4. Pater & Ave
cum

cum

cum deprecatione : *Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta!*

II.

SUum quoque habet Evangelium mundus: Sed ò quàm contrarium Evangelio Christi! Christus præcipit: Sequere me in Cruce & afflictione. Mundus: Sede, bibe, epulare. Christus commendat humilitatem, paupertatem, obedientiam. Mundus detestatur. Fili: cujus discipuli esse volumus? Si mundi, negamus Christum cum suo sancto Evangelio. Quanta impietas!

Instructio meritoria.

Confundamus mundi dictamina, exercendò actus his directè contrarios, terque hac die nos reflectendo, quàm impiè cum suis agat mundi improbitas. Ut feliciter evadamus, Litanias majores de omnibus Sanctis recitemus. Non deserunt nos sancti, si fuerint piè invocati.

III.

S Marcus sui in prædicando Evangelio laboris qualè tulit præmium? A fidei hostibus ad mortem quæsitus, nomen suum coelo insertum legit, atque vidit

vidit. Quem pœniteat, multa, & magna sustinuisse in obsequium Christi, & S. Evangelii?

Instructio meritoria.

Pro Conversione totius Americæ, aliarumque provinciarum in tenebris superstitionum, & idololatriæ ingemiscantium tres visitationes ecclesiæ ac altarium instituemus, & 12. Pater & Ave persolvamus. Unam animam servasse Christo, opus divinum est. Quis præmia enarrabit?

Festum S. Petri Martyris ex Illustri S. Dominici familia.

EXHORTATIUNCULA I.

SI unquam quis Italiæ decus, & hæreticorum extitit malleus, fili! hunc S. Petrum fuisse credamus. Vix Septennis, suo jam Patruo hæretico symbolum apostolicum recitavit lætanter dicens: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Sic Deus perficit ex ore infantium, & lactentium laudes propter inimicos suos, ut destruat inimicum, & ultorem.

In-